



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Liberorum propagatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A muntur: ea quæ & qualia sint, explicare jam cura fuerit, proindeque lucernam, fidam studiorum vigiliarumque nostrarum comitem, feligamus.

VITA, ANIMUSQUE. CAP. V.

Primum quidem lucernæ significatum est, ut pro vita figuretur, cui oleum ad luminis vivacitatem & colorem simul & corpus extingui necesse est. Inde apud Euripidem plerisque fabulis vitam reli- &uridicunt, χαίρε Φίλων Φῶς. Quam opinionem Plutarchus sequitur, dum lucernam corpori, ani- mæ quippe receptaculo, similem dicit, lumen vero animo. Nam & sacerdotes in captandis auguriis lumine minime cooperto clausove ideo uti soliti, summaque aeris tranquillitate frui, quod animum, qui certi aliquid conijcere velit, tranquillam ab omni ventorum turbine, hoc est, ab impuris affecti- bus liberum esse deceat: ne veluti aves aeris transversæ plerumque vi ventorum aguntur, ita in- terne mundi nostri aves, quippe mentis agitatio solertiaque, & hujusmodi pleraque, errore perple- xo disturbentur,

Verba sunt Polyxena in Iphigenia Euripidu.

ANIMAM SPONTE NON EXTURBANDAM.

CAP. VI.

Hinc illa apud veteres super igne religio, ut eum porro extinguere nefas esset, quem potius per se languentem deficere sinebant. Tale quid in nobis, veluti per hieroglyphicum indicantes, ne vi animam exturbaremus, nobismetipsis mortem conscientibus: animam enim, inquit Plato, nobis custodia creditam tam diu observare debemus, quoad à Principe repetatur, ne si fractis ergastulis, periosissimæque carceribus effugerimus, divinas leges quotquot sunt, in nos, nullo relicto defensionis loco convertamus.

Veterum super igne religio. Piu omnibus detinendus est animus in custodia corporis. Scip in Sam. Ciceronis.

LIBERORUM PROPAGATIO.

CAP. VII.

Longe vero apertius sexto de Legibus animam lumini comparavit, ubi cives ait oportere liberis generandis atque educandis operam dare, ut vitam, quam ipsi à majoribus accepissent, vicissim, quasi tædas ardentes, posteris tradant. Hunc secutus Lucretius, ubi de animantibus agit, quæ successione propagantur, vita per vices aliis in alia transfusa, hujusmodi hieroglyphico rem oculis subjicere visus est, lib. 2.

Et quasi cursores vimi lampada tradant.

De ludo vero lampadum, quem dicunt à Prometheo institutum, legendum apud interpretes Aristophanis, Ranis: apud Platonem lib. 1. de Republ. apud Pausaniam, Atticis: apud Herodotum, Urania: & in Rhetoricis ad Herennium.

Lampadum ludus, qui dicebatur lampadophorium.

HOMO. CAP. VIII.

Eodem argumento Hercules humanas victimas in lumina totidem Saturnalitiis sacris commutavit, impietate oraculi per hunc modum perhumaniter emendata: nam Pelasgos tradit Varro post longos errores pervenisse in Italiam, ibique ex oraculi Dodonæi monitis decumatos homines Diti atque Saturno sacrificasse. Oraculum fuit, ut L. Manius se vidisse dicit super tripode quodam in templo Jovis characteribus:

ΚΑΙ ΚΕΦΑΛΑΣ ΑΙΔΕΙ ΚΑΙ ΤΩ ΠΑΤΡΙ ΠΕΜΠΕΤΕ ΦΩΤΑ,

quod ita Latinum fiet:

Plutoni capita, est hominem sacra mittite patri.

Sedenim Hercules ex Hispania rediens, rei non sacræ, sed execrabilis immanitate offensus, cum Deos hos lumina, non homines sibi deposcere docuisset, quod Φῶς commune utrique nomen, & lumen, & hominem significaret, oraculumque interpretandum:

Plutoni capita, at genitori lumina dentur.

obtinuit ut Diti oscilla, & Saturno lampades dedicarentur, atque ita Saturnalia instituta, in quibus præter sigillaria mos fuit cereos etiam missitare. Sane humanas hostias Saturno immolare multarum

Hæc à Macrobio lib. 1. capit. 7. ad verbum.

Saturnalia in quibus fit missio.